

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* 4 \*



- I. Quidam Theologum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti consecratum à M. Zacharia Wommengiero.
- II. Causarum conjectio, quibus moti Status Regni Bohemæ ad Novæ Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. Evangeliciorum ad Christianum Davia Regem Fran. Angelic.
- V. Soteria Academiæ Wittebergenfis Johanni Georgio Electori Sax. soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini M. Mæi Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Tur. & Eodem.
- VIII. De vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdesiam.
- IX. Narratio Uxoriz de Johannis Georgii Principis Anhaltini vita et Obitu.
- X. Halitidonia Henrici Francofurtanæ D. Cyriaci Herdesiam.
- XI. Carparis Romani Euzetes Christianus de vita et Morte Georgii à Schönauis.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samueles Dreyemii.
- XIII. De Aeris Salubritate et Studiorum Commotitate in valle Franckim. & Eisdem.
- XIV. De Erustione, Utrum Literarum Cultorib. pht peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottonicæ M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De vita et Morte Joachimi Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Ezechardi incho. gno. funere sublata.
- XVIII. Programmum Publicum Academiæ Francofurtens.
- XIX. Institutio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdesiam.
- XX. De Ratione Status et Prudentiâ Regnatiâ Martini Altagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianæ de Schließen
- XXIII. Exequiis Solemnibus Johanni Christophori Herdesiam.



XVII 12

*Ab. 42*

ORATIO  
DE  
NOBILITATE

QUESTIONE,

*Utrum cum aliis tum verò maxime literarum  
cultoribus profut peregrinatio?*

conscripta atq; publicè habita  
*in majori Philosophorum auditorio,*

Quod est

Frankfurti in electorali Athe-  
naeo Marchionum Brandebur-  
gicorum,

à  
GOTTOFREDO L.  
BARONE AB EYLEN-

BURCK,

*die 17. Februar.*

ANNI

Epochæ Christianæ

1619.

Typis

FRIDERICI HARTMANNI,  
Bibliopola.

*Uro excellentissimo dno M. Petro  
na, pnceptori ac pmoctori  
sic nobis observando mact  
vultu*



*Illustri & Generosa*  
LIBBE, BARONUM TRIGÆ

**Dn. BOTHONI L. BARONI ab Ey-  
lenburg,**

Domino in Galingen, Tingen, &c.

*Parenti meo aternum venerando:*

**Dn. FABIANO MAIORI,**

Burggravio & Baroni de Dhona, Domino in  
Caryvingen, &c.

**Dn. ABRAHAMO BURGGRA-**

vio & Baroni de Dhona, &c.

*Cognatis & promotoribus meis perpetuum  
honorandis*

Optimatibus Borussia  
&

*Serenissimo potentissimoq; Electori Brandenburgico, ac Bo-  
russia Duci à consiliis provincialibus &  
secretioribus,*

Hasce studiorum meorum primitias

*Submisè offero*

**GOTTFREDUS L. BARON AB  
Eylenburgk.**



S.

**N**on in scitè prisci Poetae PALLADEM Sapientiæ Deam,  
Musisq; amicam, armatam pinxerunt. Duo enim o-  
mninò sunt, quibus excitati ingenii homines, maxi-  
mè verò summo loco nati, emergere, & laudem inve-  
nire solent: Literarum, & armorum studium, sive civilis &  
militaris Disciplina & Prudentia, ad quam omnes magno im-  
petu feruntur, quibus non spirando, sed agendo vitæ spatium  
extendi & determinari persuasum est. Utro verò horum stu-  
diorum gloriam & nobilitatem acquirere præstet, si quæras:  
nescire me, respondebo, aut ἐπέχδν. Illud tamen affirmare au-  
sim, tam præclarum, quàm rarum esse, utroque excellere, aut  
certè in eo esse. Quamvis enim non omnibus contingat, adi-  
re Corinthum: Sed pauci ferè

*quos equus amavit*

*Juppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,*

*Dis geniti potuere:*

Non postrema tamen laus est, animum intendere, quamque  
auferre non liceat, manu palmam tetigisse. Neque enim in  
Dionysiacis certaminibus, quæ Diogenes, magna miracula  
stultorum, dicebat, versamur, ubi Victores tantùm corona-  
bantur; sed in stadio virtutis & Musarū, ubi omnibus sua de-  
betur laus, suum præmium pro meritis, ut rectè scribit Poeta:

*Est, quodam prodire tenus, si non datur ultra.* Eundem  
scopum sibi præfixit, Illustris & generosus Dominus, Dn.  
GOTHOFREDUS, L. Baro ab Eylenburgk, &c. qui cùm esset ex  
ea familia oriundus, quæ in S. ROM. IMPERIO inter antiquissi-  
mas semper habitata, & honorata fuit, majoresque domi mili-  
tiæque clarissimos non tam ore, vultuque, quàm virtute for-  
tibusque factis exprimendos perpetuò sibi ob oculos positos

A 2

habe-



haberet, & quos sanguine æquaret, eos animo excedere stude-  
deret: non satis ipsi fuit ab ineunte statim ætate, in vera pieta-  
te, & bonarum literarum studio, rectè informari: Sed vel in-  
primis in ea Sapiencia maturè exerceri, quæ ad actiones ho-  
minem deducit, earumq; causas & eventus intueri. In quem  
finem cum multum quoque peregrinationem conferre di-  
dicisset, Orationem de ea luculentam conscripsit, eamque  
proximo die Mercurii hora VIII. in majori auditorio Philo-  
sophorum publicè est recitaturus.


Cum itaque, quod nuper programmate publico facere  
studuimus, nunc etiam illustri exemplo ad hujusmodi exer-  
cicia & studia plures excitatos mirificè cupiamus, Academia  
nostræ alumnos, utriusque Palladis nobilitatisque amantis-  
simos studiosissimosque, peramanter rogamus, ut sepositis  
interim aliis studiis, Illustrem Commilitonem suum de pe-  
regrinatione differentem, benignè audire, unoque officio si-  
mul plurimum favorem demereri non graventur. VALETE.  
P. P. in Academia Francofurtana XVI. KALEND. MARTII. An-  
no cl. Is. CXIX.

*Samuel Scarlach, Phil. & Med. D.*

*pro tempore Decanus Facultatis  
Philosophicæ.*



# ORATIO.



**N**tuenti mihi, Magnifice  
Domine Rector; frater germane, Viri  
Reverendi, Amplissimi, Consultissimi,  
Experientissimi, excellentissimi, claris-  
simi, Domini Professores, Praeceptores  
venerandi, tuq; studiosorum nobilissi-  
ma, florentissima, lectissima corona, ocu-

lis animi vita genera, quatuor potissimum in mentem vene-  
runt: voluptuarium, castrense, negotiosum ac eruditum.  
Primo sese dedunt generi omnes otiosi & convivatores, qui  
nullam officiorum honestatis curam susceptam, nec humanitatis  
ratione habitam, terrenis hisce irretiti voluptatibus, delitunt  
& cupediis, sic caetera praeiis omnia despiciunt, ut etiam cogi-  
tationem de melioris vitae conditione subeundam suscipere de-  
trecent, sese vivere ut edant, & non edere ut vivant, arbitrati.  
Tantus siquidem earum est dulcor, ut quem semel jocundam fro-  
te fefellerunt, & in potestate redegerunt, non ante, quam lue-  
adeo sit infectus, imo corruptus, ut quid e re sua sit, baud  
prospiciat, dimittant. Verum namq; non minus quam venuste  
dixit Poeta, quod sit

*Luxuries praedulce malum, quae dedita semper  
Corporis arbitriis, hebetet caligine sensus,  
Membramq; Circais effoeminet acrius herbis,  
Blanda quidem vultu, sed quam non tetrior ulla:  
Interius fucat a genas, & amicta dolosis  
Illecebris torvos auro circumlinat hydros.*

Sicut enim per rimam sentinae, aqua latenter intrat &  
excrefcit, donec navis per nautarum incuriam de-  
mergitur: ita ex otio atq; ignavia cogitationes pra-  
vae & concupiscentiae multiplicantur, donec navis  
cordis eius succumbens peccato periclitetur. Hunc

A 3

optimum

Claudianus  
paneg. 1. in  
Stilie.

Lang. in  
Polyant.  
sub voce  
rium in  
ml.



optimum qui putarunt statum, quo vis fuisse seculo infinito.  
Glafer. l. 1. c. 7. syn. hist. Justin. l. 1. Ninus II. regno potitus, luxu ac ignavia diffuens, rerum gerendarum curam praefectis imposuit. Sardanapalus, contempta imperii administratione muliere corruptior, totum se otio & luxuriei immolavit: & se ac regnum Assyriorum perditum ivit: Parum quippe abest, quin

Forst. l. 1. c. 3. hist. I. C. 20. Claudian,

regna  
Luxuries vitiis odiisq; superbia vertat:  
adeo divinitus imminet peccati seva satellites poena, ut in hac  
vita

Horat. 3. Car. 2.

Rarò antecedentem scelestum  
Deserat pede claudo.

Richter. 1. c. 10. ax. 97. ex-  
cm. II.

Galba parasitus objicientibus, quod in otio viveret, nemo, inquit, cogitur ad reddendam otii sui rationem: nullos, in-  
nuens, tutius vivere, quam otiosos. Sed Hugo Marchio Bran-  
deburgensis, Vicarius Ottonis III. Imperatoris in Italia, homines otiosos in judicium vocavit, ad reddendam otij & sumptuum rationem. At quorsum exempla? Succedit huic ordo alter, in quem adscripti sunt viri militares, qui de bello audientes praelatitia exsultant, eiq; unice interesse gestiunt, diversa licet intentione. Nonnulli ad direptiones senatos existimantes, omnibus conatibus sudant, ut publica pax turbetur, vicinis agris vis & injuria inferatur, cunctaq; ferro & igne vastentur, quò ex manubiis vel suas adaugeant facultates, vel corradant, unde gula satisfacere, & genio litare possint. Gens omnino hac pestifera, ut Vatis suas  
vissimi verbis utar,

Quil. Sa-  
lust. Bar-  
raf. heb. 2.  
diei I. l. 4.  
circa fin.

quam vivere raptò,  
Artibus unanimis in praelia vertere fratres,  
Et Veneri indulgere juvat: cui venter abyssus.

Non-



Nonnulli verò, quos Phœbus de meliori finxit metallo, non  
tam lucri quàm pacis quærenda, qui finis ab omnibus inten-  
di debebat, causa, castra sequuntur. Quorum seges tametsi  
rarior, non tamen omnino nulla. Hic excellit virtus Sicinii  
Dentati, qui Romanus Achilles dictus, centum & viginti  
preliis interfuit: & M. Marcelli undequadrages collatis  
cum hoste signis conspicua fortitudo. Ad hanc classem re-  
ferendi, qui à summo mane ad vesperam in sylvis & campis  
nivialis Hæmonia oberantes, nullo dierum seu fastorum seu  
nefastorum admissò discrimine, timiditatem brutorum ani-  
malium insectantur, & ferociam eo conamine excutiunt, ut  
vitam in extrema quaque pericula conjicere nulli dubitent.  
Alexander Basilij Macedonis Imperatoris filius, viginti an-  
norum juvenis singulari desidia, rebus gravioribus omiſſis,  
tantùm venationi, equis & canibus operam dedit. Cyrus  
non prius cibum sumere est solitus, quàm venationi vacasset.  
Mithridates Rex Ponti septem ferè annos in sylvis venabun-  
dus vixit.

Lang. in  
Pol. voc.  
otium.

Ad tertium vita genus animum applicant homines  
laudis atq; honorum avidi, qui nomen, famam & existima-  
tionem ab omni mortalitatis incommodo & oblivionis asse-  
rere quoquo modo annituntur. Paulus Æmilius, Perse rege  
devicto, penates suos nulla ex parte fecit locupletiores, præ-  
clare secum actum judicans, quòd ex illa victoria alij pecu-  
niam, ipse gloriam occupasset. Eorum licet numerus sit  
tantus, ut hinc non immeritò Persius querat,

Satyr. 1.

— An erit, qui velle recuset

Os populi mernisse?

Interea baud diffitendum, distinctam ad hocce gloriæ  
culmen multos viam ingredi, dum alij statuarum erectione,  
alij



alij triumphorum de hostibus caesis celebratione, alij operum  
 caelo minantium exstructione eam se assequi posse existimant.  
 Cicero, quo ejus particeps fieret, non modò tot exantlatis pro  
 reipub. incolumitate laboribus, totq; susceptis molestiis & o-  
 diis ut plebis, sic patritij ordinis in se concitatis, minimè ac-  
 quievit, verùm innumeros conscripsit libros, conscriptos  
 multorum, imò dixerim penè omnium commodo divulgavit,  
 divulgatos, quos eloquii Romani facundia delectat, rerum  
 naturalium cognoscendarum desiderium tenet, ac totius re-  
 ipubl. gubernandæ ratio quibus cura est, commendavit. Sa-  
 cratissimus Imp. Justinianus in justam redigendo harmo-  
 niam immensa veterum juris volumina non solum de Rep.  
 optimè est meritus, sed etiam nomen aternitati consecravit.  
 Quibus accensendi, qui dummodo ingentem auri & argenti  
 vim conflent, summos se honores consequutos, & esse beatos  
 putant. Hinc Venusinus ait:

ferm. 3.

omnis res

Virtus, fama, decus, divina, humanaq; pulchris  
 Divitijs parent: quas qui construxerit, ille  
 Clarus erit, fortis, justus: sapiensne? etiam & rex,  
 Et quicquid volet.

Iiq; vel in eo laborant, ut ex terra proventu, quem interve-  
 niente humano labore Dei benedictionem concessuram spe-  
 rant, thesauros sibi ad vita necessitatem ac voluptatem colli-  
 gant: in quorum sunt tribu agricola: vel id agunt, ut mer-  
 ces in longè distitas transferant regiones, & in patriam re-  
 ferant, quibus ea est destituta.

Virg. Ge-  
 org.

Non enim omnis fert omnia tellus:

Hic segetes, illic veniunt felicius uva.

aliaq; ratione commercia exercent: qui Mercatorum ti-  
 tulo insigniuntur. Nec tamen alienum ab humanitate pu-  
 sandum



tandum est, hosce ex negotiatione illa lucrum quaritare &  
captare. Impensa opera, suscepti labores & pericula merce-  
dem justè exigunt & reposcunt: ne dicam, Reip: quàm maxi-  
mè interesse, ut mercatura exerceatur, quia ejus neglectus  
certam imperiis ruinam portendere videtur: id quod opti-  
mè Salomon, qui terrâ mariq; eam adornavit: Phœnices  
maritimis clari negotiationibus, aliq; cognovere. Verùm  
si questus inde capi probiberetur, quis ei studium impendē-  
ret? Hosce quartus excipit ordo eorum, qui otio literario ac  
honesto occupati, in eo omnes suas cogitationes fixas locat as-  
que habent, ut mentem divinarum humanarumq; rerum  
scientiâ imbuant, quâ justum ab injusto, equum ab iniquo,  
turpe ab honesto discernere possint, & sic depulsâ inscitie ca-  
ligine, spretisq; fabularum involucris veræ sapientiæ &  
sanctæ prudentiæ arcanis tingantur, quibus tum cupidita-  
tes moderari, vitamq; ex honestatis ratione instituerent,  
tum aliorum pravitatem ad frugem meliorem revocarent,  
urbium, regnorū calamitates consilio avertere, seipsos deniq;  
cognoscere queant: quod perfecti hominis indiciū à sapienti  
vetustate habitum. Humanæ quippe naturæ ista condi-  
tio est, ut tunc cæteris rebus, cum se cognoscit, excel-  
lat: eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse  
desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare, na-  
tura est: hominibus verò vitio venit: dicente Boetio,

de Philos.  
consol. l. 1.  
profap. 5.

Equidem impræsentiæ in apertiore refutationis  
non descendam aut reprehensionis palæstram, nec meum in-  
terponam iudicium, cui primas tribuendas esse censeam: in-  
hoc tantum pro ingenij mei tenuitate inquiram, utrum cum  
aliis tum verò maximè literarum cultoribus, quos in quar-  
ta recensuimus classe, utilis sit peregrinatio? Quam sententi-  
am veritatis subnixam fulcro affirmando defensusurus, vos,

B

Audito-





Auditores spectatissimi, animis presentibus & aequis, pro vestro candore & mea de vobis expectatione, ut huic negotio faveatis, etiam atque etiam oro: praesertim quod nec summa sequuturus rerum fastigia, sed brevi ac exili orationis stilo rem sim expediturus. Polliceor vobis, quod

Sal. heb. 2.  
diei 1. lib. 1.

Antè suos coeli Deus in contraria cursus,  
In caput inversis Euphrates refluet undis,  
Susilient montes agni de more petulci,  
Aere nubifico ac immania caete volabunt.

quàm me istius beneficii capiet oblivio. Ut ergo peregrinatio in multis nobis rebus est adjumento, ita non minimum ad civilem conversationem pondus affert, dum feritate naturae nostrae expulsâ, audaciâ compressâ, torvitate excussâ, eisdem humanitatis amorem instillat, lenitatis spiritum infundit, desiderium placidae imprimat societatis, quibus aliorum animos in nostram amicitiam pertrahere, & benevolentiam valeamus captare, sciamusq; quo officiorum genere vicissim erga peregrinos & externos sic utendum. Dicit enim vix ac ne vix quidem potest, quae commoda humane fragilitati comitatus illa eat allatû. Ut infinita praeteream, experientiam omnium rerum magistrâ edocemur, tantam hauriri voluptatem, se peregrinationi indulgentes, eum sortiamur comitem, qui affabilem se nobis praebeat, & itineris molestias jocunditate levet, ut talem humanitatem cibi potusq; loco ducamus. Etenim videmus, nobis fortè iis cancellis coarctatis, rerumq; angustiis in itinere conclusis, ut quo corpus & animum non nihil refocilemus, nil suppetat victus, comitate illâ animis quam maximè pasci, & cogitationes ad alimoniam corporis abjectas dispelli, efficiq; paucillo ut benè contenti simus, quâ aliâs majori copia indigeremus, & anxie eam desideraremus. Quis verò tam alienus à recta rationis sensu, qui mori in aliis



in aliis elegantiam admiratus, alloquij facilitatem suspiciens, mansuetudinis excellentiam veneratus, non unice in votis habeat, iisdem ut dotibus exornetur, induatur? Multi profecto in vita ac fama periculum devenissent, nisi singularibus humanitatis officiis iis, quorum hospitio excipi cupiunt, obviam ivissent. Sic Abrahamus uxore sibi adempta in urbe Genes. 20. regia, e manibus Abimelechi a Jebova objurgati submissa purgatione se suamque conjugem liberavit. Et cui dubium, eis, qui cognitum exploratumque non habent, quali lenitatis ductu hospes sit adeundus & conveniendus, ignorantque modum servitiorum ipsi rursus offerendorum, quod tandem animi duritiem frangant, ac adibus immittantur, de valetudine non raro periclitandum esse? Quis enim brumali tempore iter faciens frigoris immanitatem sustenturus, nisi amica vicissitudine fieret ejus cum caloris jocunditate permittandi facultas? Quid si cum intenso gelu inedia quoque toleranda, &

— funesta fames mera mortis imago? Sal. heb. 2.  
die 1. lib. 3.

Dura cui nigram pungenti cuspide pellem

Ossa forant.

Sanè saepenumero fit, ut in eos incidamus, qui exuta omni charitatis umbrâ, se prorsus declarant inhumanos, nec ullo moveri pacto patiuntur, non perpendentes, nihil esse, Cicerone I. de Orat.  
in pr. iudice, tam regium, tam liberale, tamque munificum, quam opè ferre supplicibus, excitate afflicto, dare salutem, periculis homines liberare. An hic morositatem exserendam putabis, & pari vultus torvitate occurrendum? Humanitate & affabilitate opus esse, ipse, nisi

talpam cœcitate superaturus, cognoscis. Cum enim natura hominis imbecillior sit, quam cæterorum animalium, quæ ad perferendam vim temporum, vel ad in-

Lang. in  
Pol. V. hu-  
manitas. in  
sim.



eurfiones à suis corporibus arcendas naturalib, mu-  
 nimentis providentia naturalis armavit: homo, quia  
 nihil istorum ei datum est, accepit pro istis omnibus  
 miserationis affectū, qui planè vocatur humanitas,  
 quā nosmet invicem tueremur. *At quæ hacce humani-  
 tas, quæ comitas? accepit quidem eam, fateor, & Ni pater à  
 jusso desisset tramite primus, sartam teclamq, retinuis-  
 set, sed in turpissimo illo admissò lapsu perdidit, eheu! ami-  
 sit. Cainus irà tumidus innocuum fratrem Abelem sceleratè  
 dedit internecioni, Sara seyum in Hagarum exercuit domi-  
 nium. Esavus plusquā vatiniāno Jacobū propter ablatū jus  
 primogenituræ interceptā patris benedictionem est prose-  
 cutus odio. Josephum fratres ipsius vendiderunt. Mitto fla-  
 gitium Onanis semen in terram, ne id fratri suppeditet, es-  
 fundentis. Mitto falsum testimonium uxoris Pharaonis A-  
 mosis, contra Josephum nefandæ voluntati resistantem. Mitto  
 tyrannidem Pharaonis Busiridis seu Raëmesis, qui ex va-  
 no timore multitudinis, ad Israëlitas durissimo servitutis  
 jugo premendos, eorumq, masculos clam palamq, enecandos  
 rabidè processit. Nec commemorabo pertinaciam successoris  
 ejus, Pharaonis Chencris, qui aliquoties licet à legato Jeho-  
 ve Mose admonitus, tantā tamen cordis obstinatione Israël-  
 lem retinebat, ut decem plagarum vires & virus sustinere,  
 imò cum curribus & universis copiis in algofo mari demer-  
 gi, quàm eum à se dimittere maluerit: nec alia aliorum secu-  
 lorum vitia, an crimina recensebo: quoniam apud omnes in-  
 confesso est, hominū mores cum atatibus indies in pejus rue-  
 re. Nam quemadmodum, auctore Comineo, & vitæ diu-  
 turnitate, & robore corporis multo sumus inferio-  
 res priscis illis hominibus, ita quoq; ab ipsorum fide  
 & integritate permultū degeneravimus: ut vix pro-  
 videre*

Sal. heb. 2.  
 die. I. lib. 1.

Gen. 4.

Gen. 16.

Gen. 22.

Gen. 37.

Gen. 38.

Gen. 39.

Exod. 1.

Exod. 5.14.

l. 3. de reb.  
 gest. Lud.

XI.

ad. v. 189

ni. an. in. m.

...



videre sibi aliquis diligenter satis possit, quod minus  
fallatur. At unde illa humanitas repetenda? Cymmeriis ja-  
cet tenebris obruta. Ex peregrinatione majoris elegãtie cul-  
tura imbibenda, addiscendumq; multa lenitate toleranda:  
nec esse, quod vel verbo duriore nos deterreri sinamus, sed  
magis magisq; instemus, animum ipsius, cujus auxilium im-  
ploramus, mellitissimo sermone demulcentes, placidoq; vultu  
afficientes, ut desiderio nostro satisfiat. Insuper siquidem  
erit, qui frigus ingens malit experiri, quam dulci alloquio  
hospitis rigorem mitigare, & ad suam voluntatem necessi-  
tatemq; inclinare: qui sitim famemq; sustinere, quã ejusdem  
diritatem vultus hilaritate ad suum ipsius emolumentum  
emollire. Certè animus lenitate instructus, & contra mali-  
gnitatem moris humani bene preparatus, sese facile ex hisce  
extricabit malis, ac palmam feret. Comitas in succum & san-  
guinem per longas itinerum dimensiones convertenda, ser-  
moniq; ei assuescendum, quo peregrinorum favorem nobis  
conciliare possimus. Hic namq; temporis cedere, sapientis est  
judicatum. Atq; ut cochlea instar semper domi harentes, ple-  
runq; inhumanitatem spirant, & morositatem pra se ferunt,  
insulsis sunt moribus pradi, incedunt austeri, nec debitam  
reverentiam aliis exhibent, sed in omnes imperium sibi ven-  
dicant, exigentes, ut unusquisq; ad eorum tanquam Regis ex-  
emplum vitam componat, ac nutum: & si fortè ab aliquo le-  
viter fuerint seu verbis seu factis lasi, statim ad lares do-  
mesticos ceu certum asylum confugiunt, de injuria illata  
conqueruntur, minantur, nec placari sese, nisi domesti-  
corum auxilia vindictam promittant, patiuntur. Ita  
qui oculorum acie varios provinciarum ac urbium  
situs sunt contemplati, diversosq; hominum mores cum Ulyf-  
se cognoverunt, humanitate præ reliquis excellunt, & non i-  
gnari



Glafer. l. 4.  
c. 9. syn. hist.

Putcan. cēt.  
l. ep. 22.

gnari malorum, adversas & secundas res experti promptius ad aliorum, qui fortunam experiuntur novercam, calamitatem sublevandam propendent, secum agitant tritum illud veriverbium. Quod tibi nolui fieri, alteri ne feceris: exemplo pii ac literati Principis, Alexandri Severi, qui id sermonibus usurpari, parietibus inscribi, & per preconem proclamari iussit, adducti: gaudentque oblatam esse ex supremi Moderatoris jussu & mandato benefaciendi occasionem. Longè igitur hac superant virtute illos, qui per totius vitæ spatium ne quidem pedem limine paterno extulere, sed semper in eo mansere. Humiles quippe & plebejæ animæ domi resident & adfixæ sunt suæ terræ: illa divinior, quæ cælum imitatur, & gaudet motu.

Atque quum salus Reipubl. haud parum procuretur, si ea benè moratis civibus abundet, peregrinationes subeundas quis inficias ibit? quarum beneficio morum rusticitas invenustatem & amabilitatem quandam mutatur. Fieri enim nequit, ut, si videamus multos morum elegantia conspicuos, ad imitandum illos nobis proponere negligamus, quin potius nostras exuvias more serpentum abjicere, novaque bonis moribus refertas induere annitmur: quandoquidem mentibus nostris occultè desiderium quoddam feros illos affectus temperandi, & aliorum venustati conformandi ingeneratur, ac nimium quantum commovemur, ubi alios eorum decore nos vincere animadvertimus. Quamvis non diffitear, deprehendi nonnullos inter peregrinatores, qui ceu vultures unguentorum odore fugantur, & ad cadavera advolant: sic avidissimè impetu quodam singulari ad morum barbariem, vitiorum colluviem, & ad ea abripi, ob quorum fugam itinerum confectiones suscipiuntur: nonnullos eà esse indole, ut foris fortè virtutibus studeant, sed domi, sumpto



sumpto quodam spiritu, medicamentis inhumanitatis odorem redolentibus delibuti, aliorum conversationes depellant, fastidiant, decoriq; in civili statu observandi obliviscantur. Sed quid cum hisce nobis commercii? Ex alienis, perhibent historia, moribus & institutis suos Anacharsis Scythia correxit ac emendavit. Hoc in exemplum, qui peregrinationis studium atro notandum putant carbone, intuerentur, aliorumq; populorum mores cum suis equiori rationis lance conferrēt. toto sese errasse caelo reperirent, ambabusq; ulnis eorum dulcorem amplecterentur. Ac veluti inter tot hominum millia nulla vultus facieiq; lineamenta per omnia sunt similia, nec ullae voces eadem sonorum congruentiā emittuntur: ita suum cuiq; ingenium est, sua cuiq; regioni propria consuetudo. Ex tanta igitur dissimilitudine instar apum,

— qua floriferis in saltibus omnia libant,

Lucret.

& utilissimam eliciunt melluginem, colligendum, quo nostrā vitiositatem ad concinniores perfectionis gradum perducere queamus. Coguntur etiam, qui terras vident

— alio sub sole jacentes,

sese accommodare aliorum voluntati, ne, quorum operā indigent, vel nutu offendant. Sunt enim interdum capita aperienda, genua flectenda, honoresq; vel indignis exhibendi, ne odio exponantur, & cum Alcibiade & Themistocle multorum invidiam incurrant. Interdum lingua seu vox alto sub pectore condenda, nec protinus, quae menti obversantur, efferranda. Jam olim quippe bene existimatum fuit, linguam non debere esse liberam nec vagam, sed vinculis de pectore imo ac de corde aptis moveri & quasi gubernari: Idemq; eleganti hoc disticho inculcatum:

Gell. I, c. 15,

Multa audi, dic pauca, tace abdita, discite minori

Parcere, majori cedere, ferre parem.

Cujus



Cujus moniti tum imprimis nos observatores esse decet, quando simul periculum imminet futilitati. Temerarium namque fuerit, si versemur in locis, ubi religionis exercitium libertatis fecit naufragium, & interdictis severe est prohibitum, ibi de summis controversisq; fidei capitibus & articulis disputationis subire aleam velle, multumq; litis de ceremoniarum differentiis movere: quum potius suadeat prudentia, ea omnia nube silentij esse involvenda, quod constantis sit experimenti, ne bilum quidem intempestivis illis profici velitationibus sed magis ad odium eos, quibus cum agimus, instigari, pacisq; negotium in religionis dissidio perturbari

lib. 1. in pr.

& prorogari. Unde Tacitus justissime exclamat: Rara temporum felicitas, ubi sentire, quæ velis, & quæ sentias, dicere licet. Satius itaq; foret, quæ mutari non possunt, patienti tolerare animo, quam dubio litis eventui exponere, seq; in discrimen vite conjectare. Sapientis enim est, teste

In Prov. 13.

Gregorio, non solum, quod loquitur, sed etiam opportunitatem loci, & temporis & personæ, cū loquitur, inquirere diligenter. Cui consentit Horatius, dum canit:

l. 1. ep. 18.

Quid de quoq; viro, & cui dicas sepe videto.

Neg; verò itinera nobis hæc duntaxat præstant commoda, sed ex iis optima addiscitur moderatio & frugalitas, quam genitricem virtutum Justinus, & bona valetudinis matrem Valerius Maximus appellant, quæ perficimur, ut non

lib. 20. in med.

Martial. 1

Aretina nimis spernamus vasa.

Nonnunquam enim panis sale conditi frustum æqui boniq; consulendum, & torus herbaceus pro famis & laboris medela exhibetur, imò exoptatur, sed & nonnunquam denegatur. Quare minus consultum, peregrinis in oris ferculorū, quæ ad stomachum facere possent, lautitiam ab hospite exigere, nec, quod ei placet apponere, placidâ mente acceptare, aut indigna-





indignari velle, si fumata non assata porrigantur carnes, non  
vina adportentur, sed cerevisia mucida propinetur. Qui-  
bus si foris necessitate compulsi assuescamus, domum reversi  
à bonorum & donorum profusione erimus alieniores, &  
quod cessat ex reditu, frugalitate supplebimus, ex Plin. libr. 2.  
ep. 14.  
qua velut fonte liberalitas nostra decurrit. Verum  
quid hisce, auditores eminentissimi, vobis sum molestus, qui  
id optimè novistis: ad alia majoris momenti argumenta  
propero. Cogitate cum animis vestris, an ullus Reipubl. sit  
florentior status eo, qui pietatis vallo munitur, optimarumq;  
legum repagulis ita coercetur, ut boni premiis afficiantur,  
mali poenarum formidine à perpetrandis sceleribus avocentur,  
quò Respub. in tuto collocetur. A majoribus enim  
nostris, ut inquit Romana parens eloquentia, nulla alia  
de causa leges inventæ sunt: nisi ut suos cives inco-  
lumes conservarent. At ea ferendarum legum diviniq;  
cultus ratio undè expeditur facilius, aut comparatur meli-  
ùs, quàm ex eorum, qui solum mutarunt, accurata industria?  
Solon & alii sexcenti legumlatores tot ac tam praclaras  
non condidissent leges, nisi variis regionibus perlustratis,  
multarum gentium instituta vidissent, visa apprehendissent,  
apprehensa in suam Reipubl. induxissent. Hac in re lau-  
dandi sunt Veneti, qui quamvis Reipubl. possideant benè  
constitutam, tamen legatos suos apud exteras alunt natio-  
nes, qui omnia in peregrinis rebus pub. notatu digna diligen-  
ter observent, accurateq; ad patres patriæ perscribant. Sed  
in re adeo manifesta quid verbis opus est multis? Quisquã-  
nè Hebraorum duce & nomotheta Moyse sapientior? quis-  
quamnè prudentior & divinior? Ille tamen administranda  
reipubl. judiciorumq; obeundorum modum commodiorem  
à Jethrone socero suo, homine extraneo, non tantùm audi- Exod. 18.  
vit.



vit, sed & accepit, & non sine fructu probavit. Ita Lycu-  
gus olim ut rectius Rempubl. suam legibus constitueret, in  
Cretam Ægyptum est profectus. Anacharsis regio sangui-  
ne prognatus è media Scythia Athenas venit, cogniturus,  
qui patria humanioribus Græcorum scitis sapienter ac reli-  
giosè esset excolenda.

Præterea maximam ingeniorum, animorum naturæq;  
humana inter sese dissensionem esse ac discrepantiam, omni-  
bus constare arbitror, qui modò pensculant, aëris temperi-  
em, ciborum locorumq; varietatem, magnam ad immutan-  
dos animos vim habere; atq; ut regionum mores & studia  
sunt diversa, sic quoq; inde natos diversum habere morum  
habitu & rationem: Sed & notum esse puto, eam penitus  
cognosci haud posse, quàm si cum multis, variisq; converse-  
mur populis, quotidianaq; eorum familiaritate utamur, quò  
fiet, ut rectius perspiciamus,

Hor. l. ep. 7

————— quid distent ara Iupinis.  
Hispanos perhibent in subitis irruptionibus faciendis, &  
hostium fugæ insistendo plurimum posse: Italos ad occupan-  
dos muros arcesq; esse expeditissimos: Gallorum & Belga-  
rum in insidiis & strategematibus struendis virtutem ex-  
cellere: Germanos ac imprimis Helvetios ad sustinendos a-  
perto Marte & campo hostium impetus esse paratissimos.  
Hic si inquirendum esset, quantam morum peregrinorum  
notitia utilitatem afferat rebuspub., vereor, ut exitum ora-  
tio sit habitura: interim, sicut avem cantus, tinnitus num-  
mum prodit, ita vel tibicinis unius Sybaritici exemplum  
eam adumbrat: qui à suis ejectus ad hostes Spartanos se-  
contulit, ac stipulatus premium, illis certam de Sybaritis vi-  
etoriam promisit. Callebat enim ille Sybaritarum molliti-  
em, quod equos ad saltationem assuefactos in prælium duce-  
rent.



rent. Totum igitur negotium expediturus, assumptos ad se  
 socios docuit usitatas Sybaritarum cantilenas, & cum illis  
 ad Spartanorum agmen processit: cumq; res jam ad manus  
 ventura esset, tibiis omnes instrepunt, notosq; incinunt mo-  
 dulos: quò factum, ut tum equi saltantes aciem turbarint,  
 atq; ita nullo negotio à Spartanis Sybarite fuerint victi.  
 Quemadmodum verò unicuiq; certus vitæ terminus &  
 cursus est præscriptus, qui antè absolvendus, quàm ex hac  
 mundana civitate ad cœlestem illam, in quâ demum plenif-  
 simè beatà fruatur requie, demigrandum. Sic tam diu no-  
 bis in hoc mundi theatro oberrandum, donec eam assequa-  
 mur perfectionem, quâ utiliter Ecclesiis, Rebuspub. Scho-  
 listisq; inservire, & pro virili eorum commoda noverimus pro-  
 curare. Quid enim aliud est vita nostra, quam mera & nu-  
 da peregrinatio? Sensit hoc rectè Jacobus, qui pressus fame Genes. 47.  
 in regione Cenahanis, se suosq; ab interitu vindicaturus, ad  
 filium suum Josephum profectus, à Pharaone, quot dies es-  
 sent annorum ejus interrogatus respondit: Dies annorum  
 peregrinationum mearum sunt centum triginta an-  
 norum: pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ  
 meæ, neque attigerunt dies annorum vitæ patrum  
 meorum, quibus diebus illi sunt peregrinati. Oculos  
 nostros in protoplastos convertere si voluerimus, annon A-  
 damus fœdissimâ illâ labe attractâ ex horto jocundissimo  
 Hedenis protrusus, peregrinando locum victumq; in sudore  
 vultus sibi querere coactus & comparare jussus. Annon A-  
 brahamus, qui ex patria Ur Chaldeorum & mediâ Nimro-  
 di Idololatria atq; tyrannide cum suis in Haram Mesopotam-  
 iæ à Deo evocatus; inde per terram Cebanaan in Sichem  
 & Bethel; hinc in Ægyptum; ex quo in Hebron; tandemq;  
 in Dan & Gerar secessit, est peregrinatus? Quid Moyses,  
C 2
quid



quid David? An non ducendo populum exercitumq; in va-  
rias terrarum orbis partes toto vitæ spatio sunt peregrinati?  
Alios præterea permultos lubens volensq;, ne mea disputatio  
excrescere nimium videatur. Improbādus hinc venit Ælianus  
Sophista, ut de eo refert Philostratus, qui de tribus gloria-  
ri est solitus, quod Italiā pedem non extulisset, nec navim es-  
set ingressus, nec mare oculis usurpasset. Aversor Socratem,  
qui Phadro objicienti, quod nullum iter suscepisset, nec pere-  
grinatus esset: discendi, inquit, cupidus sum: agri verò &  
arbores nihil me docere possunt, sed homines, qui in urbe de-  
gunt. Multoq; minus in Pomponij Lati sententiam conce-  
do, qui ne urbem semel egressus fuit, hoc prætextu, quasi ex  
ipsis urbis ruderibus plus virtutis & eruditionis capere,  
quàm ex toto reliquo orbe valeret. Sed cur, ò Æliane, cur  
ita de neglectu tuo gloriaris? quæ causa impellunt? Vanam  
quis tuam non videt gloriationem? Probetur potius clarus  
ille Sesostris, qui latè maria navigiis illustravit. Laudetur  
Osiris, cognomento Jupiter Hammon, qui cum uxore & so-  
rore sua Iside (quæ & Juno Ægyptia & Ceres cognomina-  
tur) totum ferè terrarum orbem circumivit: justitiam &  
pacem constituit: agriculturam homines docuit: Gigantesq;  
superavit. Prædicetur Hercules, qui orbem terrarum in-  
structo cum exercitu peragravit, & multis devictis, mon-  
strisq; domitis, columnas ultimis in Gadibus erexit. Si ò So-  
crates, discendi ardore flagras, consideres velim, num rectè  
sentias? An non ipse alios informaturus, in tota hac univer-  
sitate ne minimum quidem contineri, ex quo non singularis  
divina majestatis potentia, quam suspiciemus, eluceat; in  
quo non summa ejus, quam adorabimus, sapientia sit ex-  
pressa, & ex quo non immensa sanctitas & benignissima boni-  
tas, quam expetemus, contemplationi & meditationi nostræ  
sit exposita? Quem in sensum optimus Stigelius optimè sic  
est modulatus:

Aut.

Glas. l. i. c.  
& syn. hist.

Glas. l. c. II.



Aut mihi planta suis Numen demonstret in herbis,

Præsentemq; refert una vel herba DEUM,

Aut operis series autorem tota recenset,

Qui facit & lato cuncta favore fovet.

Emicat ex ipsis divina potentia campis,

Et levis est cespes, qui probet esse DEUM.

Credo equidem sic statues: quid igitur nullam ex agris & ar-  
busculis doctrinam hauriri posse, asseruisti? Fortè non cogi-  
tasti, ea, quæ in fundi tui visceribus sapientie monumenta  
delitescunt, nec tibi sunt visa aut intellecta, in aliis terra  
partibus apertiori indicio revelari ac clarius elucescere: nec  
unam plagam ad omnium specierum productionem minus  
sufficere, perpendisti. Atq; si ab hominibus erudiri mavis, cur  
peregrinationem detrectas? quum in illa hoscæ, quorum sci-  
entiâ totus illuminatur orbis, conveniendi coràm offeratur  
ocasio, qui dubio procul ad solius vestra civitatis mœnia un-  
iversi minime confluxerunt. Te quoq; Pomponi late, redar-  
guendum sumerem, nisi jam antè omnium risui esses exposi-  
tus, à quo te, nisi divinam quandam vim tibi inditam, quæ  
hac prestare queas, demonstres, non liberabis. Nec minorem,  
habito ad jocunditatem respectu, pariet nobis peregrinatio  
delectationem, quando quæ vel audimus ex aliis, vel legimus  
in literatorum monumentis, ipsimet oculis contuemur, & ma-  
nibus nostris palpamus: quoniam apud omnes in pro patulo  
est, magis ea delectare, quæ videntur, quàm quæ audiuntur.  
Jocundissima enim sunt, & gratissima, quæ per sensum aut  
præsentia, aut per recordationem præterita, aut propter spem  
futura. Quin etiam possumus illa, ad quæ oculorum acies pe-  
netravit, majori adseveratione affirmare, quàm quæ aurium  
admiculo ad nos delata. Teste enim Plauto:

Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt. Trucul. a.

& Horatio:

2. sc. 6.



De Art.  
Poet.

Segnius irritant animos demissa<sup>f</sup> aures,  
Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus,  
Ad hoc accedit, ut & de aliis liceat benè mereri, dum sciamus  
amicos vel consanguineos instruere, quomodo in regionibus  
remotis aut civitatibus agendum, quid observandum, qui  
sumtus erogandi, cum quibus conversandum. Nam quæ nos  
stro sumus damno experti, plenius ad ea attendimus, & me-  
morie firmitus impressimus, ut expeditiori impostertum viâ in  
ijs cum alijs communicandis uti possimus. Sæpè etiam post  
gravissimorum itinerum confectionem animum nostrum  
colloquijs suavis ex distantium regnorum, regionû aut urb-  
bium thesauris, fertilitate ac amœnitate desumptis recreare  
solemus, earumq; rerum recordatione, quæ efficit, ut eo loci  
ad huc quasi commorari videamur, curas depellere molestissi-  
mas & fugare. Atq; ut colophonem huic imponam discursui,  
exprimi haud potest, quæ subsidia ad comparandam scientiã  
& eruditionem ex peregrinatione efflorescant, animosq; ab  
ignorantia ærugine poliendos: quod non modò tot ac tam  
præclare in Gallia, Italia, Hispania, & aliis locis Bibliote-  
ca, quarum usus sine ullis sumtibus nobis conceditur, reperi-  
antur. Sed etiam clarissimorum atq; doctissimorum virorû  
frequentia occurrat, quorum symbiosi & convictu studiorû  
telam cõmodissimè pertexere cõceditur & absolvere. Quan-  
tos enim Gallia Theologos & Jurisconsultos tulit ac colit?  
quot & qualibus Italia floret Medicis experientissimis? imò  
quot ipsa nostra Germania splendet viris eruditionis laude  
eminentissimis, ne quid de aliis dicam. Quis verò remis ve-  
lisq; eò, quò & vultum habitumq; corporis intueri, & doctri-  
nam ex mellitissimo ipsorum ore haurire licet, non contende-  
ret, ut aureum illud vellus cum Fasone, prudentiam dico &  
sapientiã virtuti annexam, verè in patriam reportare pos-  
sit? Si deniq; in conversatione eorum monita utilissima ad-  
mitta-



mittamus, ijs obtemperemus, locumq; demus, re ipsa depre-  
bendemus, vitam nostram in melius iri commutatum. Pole-  
mon perdit a luxuria adolescens quū ex convivio post ortum  
solis domum rediturus, Xenocratis Philosophi Scholam tur-  
bā doctorum hominum refertam intrasset, & prudentis-  
sima praecepta temulentia lascivius elevasset, ortā omnium in-  
dignatione, Xenocrates de modestia & temperantia loqui ce-  
pit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemon,  
primum coronam capite detractam projecit, paulo post bra-  
chium intra pallium reduxit, procedente tempore oris con-  
vivalis hilaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriam  
exiit, uniusq; orationis saluberrimā medicinā sanatus, ex in-  
famiganeone maximus Philosophus evasit. At si tantum po-  
tuit unica viri disertissimi dissertatio in homine libidini de-  
dito & Somno vinoq; sepulto,

quid nō multorum ora vocesq; in ijs, qui ad decus & gloriam  
nati, suā sponte sese itinerum periculis obijciunt, ut quae in i-  
psis reliqua sint vitiorum imagines expellantur?

Sileo, ad tantos honorum gradus non fuisse evectos quā  
plurimos, quibus aut in insimis subsistendum subsellijs, aut  
inglorius fuisset vitae cursus exigendus, nisi celeberrimos mun-  
di permeassent districtus, mores observassent, exterāsq; didi-  
cissent linguas. Hac & similia argumentorum pondera ne  
vel temporis brevitate, vel aurium vestrarum benevolen-  
tiā, vel judicij dexteritate abuti velle videar, latius persequi,  
qui, & expansis diducere velis, nunc supervacaneum duco,  
ratus, cum ad oculum tot tantāsq; utilitates amabili volu-  
ptate ac jocunditate refertas ex peregrinationibus redun-  
dantes, non duntaxat nobis, verū & patria ac amicis in-  
servituras evicerim, neminem mortaliū futurum, qui sa-  
nus eas vituperare ausit, nec commodis tangatur, earum vè  
dulcedine moveatur: Sed potius omnes utroq; pollice eas sus-  
cipiendas

Val. Max.  
lib. 6. c. 11.



*cipiendas laudaturos. Hoc saltem universis adyicio ponde-  
randum, ut singula cogitationibus firmis & fixis, attentè  
judicij acrimonià, immotè oculorum acie perscrutentur,  
hauriant, & fideliter in patria commodum asservent: nec fi-  
cuti cantharides venenum, quo hominum saluti insidias  
struere assolent, exsugunt: ita peregrinationi qui incum-  
bunt, pravos & molestos ex remotarum gentium vitiis mo-  
res attrabant, ac patria inferant, sed ex singulis regionibus  
elegantissimos legant lepores, & excerpant flosculos, qui  
patria hortulis inseri, & in emolumentum conver-  
ti possint, ut eis feliciter vigeat, faustè fla-  
reat, ac salutariter diu con-  
servetur.*

**D I X I.**



## Fratri Germano,

**N**uper in Aonidum, Frater Germane, viretis  
Te abdideras nitidis:  
Nescio; quo fuerit placido tunc undique motu  
Mens agitata Tibi.  
Fallor! an hinc raptus summi in praelustre viretum  
Maximum & Artificis?  
Inde soli externi surgunt encomia prompta  
Voce palam & calamo,  
Atque animum in fundos alio sub sole jacentes  
Magna cupido trahit.  
Grator, & in laudem faustè exopto, duce Jovâ,  
Curriculum peragas.

*amoris ergo  
scrib.*

Botho Henricus, L. Baro ab  
Eylenburgk,

*pro tempore Academia Francofurtana*  
RECTOR.

D

*Quam*



In Orationem  
Illustris & Generosi DN.  
DN. GOTTFREDI BARONIS AB EYLEN-  
burgk, in Galingen & Tingen, &c.  
publicè  
in majori Philosophorum auditorio è Cathedra  
sollemni recitatum.

Quam meruit virtus, sequitur te gloria gentis  
Eylenburgiaca mens generosa, BARO:  
Non etenim satis est, te illustri stemmate natum,  
Nomine Prutenicas concelebrare domos,  
Insuper amplificum genus illustrare laboras,  
Evehis & veteri stemmate lemma novum,  
Lemma novum, doctum, Latio sermone politum,  
Quod magni esse solet symbola certa viri.  
Sic sic natales repetis proavorum & avorum  
Et genus & genium mutuo honore colis.

M. Theodorus Ebertus, p. t. Academiae Pro-  
Rector, & S. Linguae Professor.

Qua Thetidis quondam Nato florentibus annis;  
Hæc tibi proposita est inclute meta Baro.  
Orator verborum & rerum Gestor uterq;  
Summis contendit viribus esse bonus.  
Et merito nec enim Tyrio sic murice tincta  
Semideos ornat vestis, ut Eloquium.  
Perge Baro incoctum generosum pectus honesto  
Egregiè Marte atq; Arte polire tuum.  
Eylenburgiaco sic dignus nempe Dynastâ  
Natus eris: generis faxq; corusca tui.

M. Christoph. Neander, Professor  
Ethicus in almâ, Viadrinâ.



**D**um juvat Artificis Magni lustrare theatrum  
Sollicitis avidæ magnum me mentis ocellis:  
Obstupeo, lætorque tamen. Sic copia rerum,  
Concordi species discordes lege ligatæ,  
Atque decor cæli nitidus, copesque thesauri;  
(Viscera quos terræ claudunt, quos extulit alma  
In lucem, exserto nutrit quosque ubere pleno  
Mater) sic series operis miranda stupendi  
Certatim abripiunt mentem. Sed lætus in erro,  
Quod negat humanas operas & fulcra, Lyceo  
Æterni Artificis, fido cum corde Jehovæ  
Gloriam, & occultas arreptâ fronte volutans  
Laudes: Hic bonitas, illic sapientia summa  
Eminet: hic splendet divina potentia multum,  
Illic justiciæ sanctissima norma coruscat.  
Fallor an! ô Baro, hæc meditans abreptus in oras  
Diversas, mundi cupidè miracula lati  
Plurima scrutatus, visendi encomia ruris  
Sumpsisti eloquio peregrini ornare disertum.  
Grator, & hinc opto, volitet Tua fama per orbem.

*Honoris, benevolentia &*

*Affinitatis gratiâ*

*scrib.*

**Johannes Georgius à Pudevvels**

**Nob: Borufs.**

D 2

Quo



Quo nunc sub caelo? vel non quibus orbis in oris  
Erravit, mores hominumq; inspexit Ulysses?  
Quo non in pelagolavit vel naufragus? aut quam  
Pectore non faciem vidit constante laborum?  
Et licet obviam erant, oculos animumq; morari  
Qua poterant, illex ceu cantus & improba Siren.  
Hac obfirmatam tamen haud infringere mentem,  
Delitiis animum haud poterant suspendere ab istis:  
Dulcia contempsit, patiendō elegit acerba,  
Nempe ita se fato sapiens attemperat omni,  
Duraq; fert omnis, prudens evadere qui vult,  
Non rerum obtutu mentem duntaxat inani  
Pascit, Si tales nossent sibi ponere fines:  
Extera quae hodie cura est invisere regna,  
Non auras tantum & caelum, una pectus at ipsum  
Mutarent. Tua prudentes oratio Ulysses  
O Juvenis Generose probat, non comprobat illos,  
Qui tanquam volucres errant & sidera terrasq;  
Emensi, quorum sed cor prudentius inde  
Mens etiam cultu formata revertitur. Ergo  
Prelustris Juvenis Generoso pectore digna,  
Si perges ita, produces vestigia avorum,  
Sicq; premens superas transibis honoris ad arces.

In  
Amoris & benevolentiae  
testimonium accinebat

Heinricus à Nostitz in Noes  
& Delisavv.

Cum



**C**um primum ostendit Lucina, Baro inclute, nostris  
Teterris, litem tres agitâre Dij.  
Mars erat atq; puer qui tela Typhoea spernit  
Et Phœbus, tria quæ numina multa valent.  
Mars ait, infractæ hic apparent semina mentis,  
Miles erit; bello mens decet ista viros.  
Quid bellum? dixit, pueros juvenesq;, Cupido,  
Non enses, nostrum sed jurat imperium.  
Subrisit Phœbus: rigida non militia iste;  
Non miles Veneris desidiosus erit.  
Hæc duo non frangunt sublimia pectora: nostra  
Qualia duntaxat castra subire jurat.  
Quin dudum ille meo jam jam signatus honore:  
Sacrabit primam nam mihi rite comam.  
Ambrosia à teneris illum cum Nectare pascam,  
Et tenera Aonijs ora lavabo vadis.  
Conticuit Mavors, retulitq; Cupido repulsam;  
Te Phœbus studiis sic fovet usq; suis;  
Quorum nunc specimen dignum producis & annis,  
Et dignum ingenio nobiliore refers.  
Perge ita, sic Divum Phœbus te in templa reponet,  
Asscribet placidis ordinibusq; Deum.

Observantiæ & honoris ergo  
deproperabat  
Joh. Henricus à Nostitz.

Gotto-



Gottofridus Baro ab Eyllenburg,

*per ἀναγκασιωτισμὸν ita fit*

Lubet togâ fido robur bis regna.

Sicne, prælustris Baro, sub vetustæ

Stirpis Eyllenburgiacæ nitore

Splendido celsi Prusiæ in Ducatus

Nate lacertis;

Sicne, quæ quondam, calidi recursum

Plurimo solis, procul à paterni

Liminis distans abacis, apertâ

Ceperis aure.

Dicta, solerti studioque lecta.

Adnotâris, nunc LUBET ex cathedra

In T O G A purâ specimen disertâ

Promere voce.

Ora per doctûm Procerum Lycei

Marchici? F I D O simul & sagacis

Ingeni ROBUR calamo, latentem

Exprimere & vim?

Optimè. Hinc lætis capias oculo

Gloriam atque aure. En veniunt novæ

Gratulaturæ Viadri sorores,

Docta cohorsque:

Intonat dulci refluxæ susurro

Oderæ cursus Tibi deputatum

Premium laudis, meritosque dicunt

Mania honores.

Grator: ast opto stadii secundum

Exitum arrepti, pede quò universi

Abs mora illa so peragrans remota

Regna per orbis,

Pandat



Pandat occulto Tua Fama sese  
Seculo: Bis sic quater ac beatus  
Et DEI & DIVUM vigeas favore  
Semper abunde.

*Conradus Thom Bone, Brem.*

*Eidem Illustr. & Gen. Dn. Gottofredo L. Baroni ab Ey-  
lenburgk, à studiis submissa observantia ac pia congra-  
tulationis ergò F.*

---

**M**Ajorum hoc meruit quondam generosa Nepoti  
Virtus, ut Generis Nomina Clara gerat.  
Hinc Patrum illustri Prognatos sanguine cernis,  
Qui Tritavi numerant Martia Signa sui.  
Mens Generosa suum Generoso Stemmata ducta,  
Artibus ingenuis Stemma juvare studet.  
Ut Generi major surgat laus, nomen, bonosq;  
Doctrina haut metuit Tempa verenda sequi.  
Tàm pulchrum est Virtus Patris & quem Propria signat,  
Quàm pulchrè ex auro gemma corusca micat.  
Hanc animi Gemmam, Claro qua jungitur Auro  
Illustri linguâ prodita Suada refert,  
Fulgeat hac inter preciosas Gemmula Gemmas  
Inter cœu Phœbus sidera clara vitet.

Georgius Herrmannus  
Suidnicio-Silesius.





Iudicium ecclesie Tria sunt scilicet  
secundo: Bis hic dicitur ac beatus  
Et dicit & DIVIUM videtur favere  
Semper habet

Liber huius ...  
Liber huius ...  
Liber huius ...

M ...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

Georgius Hermannus  
Scribitur & Sibylus





Nh 122



ULB Halle 3  
002 714 272




A white rectangular library label with a barcode and identification numbers. The text 'ULB Halle' and '3' are in the top left and right corners respectively. Below them is the number '002 714 272' and a standard 1D barcode.

St

1017











B.I.G.

Farbkarte #13

<sup>XIII</sup> 12  
ORATIO  
DE  
LILLIA

*26. 42*

ÆSTIONE,  
*um vero maximè literarum  
us profit peregrinatio?*

atq; publicè habita  
*philosophorum auditorio,*  
Quod est  
in electorali Athe-  
nionum Brandebur-  
gicorum,

à  
FREDO L.  
E AB EYLEN-  
BURGK,  
*17. Februar.*

ANNI  
æ Christianæ  
1619.

Typis  
CI HARTMANNI,  
Bibliopola.

*Novo excellentissimo Dno. M. Petro  
na, Præceptori ac Promotori  
sic nobis observando mact  
videtur*